

1499 Petrus Antonius Battalia a Ludovico acceptam custodiebat. Legati postridie ejus diei, qui arcem reipublicæ nomine ab illo peterent, miserunt. a præfecto interpretibus ultro citroque missis, cum ei libras auri ducentas quinquaginta legati partim dedissent, partim se datus receperissent; civitatem & jus comitiorum ipsi patrue ejus posterisque eorum una cum domo urbana & fundo & villa in agro Veronensi Senatus permisu donavissent: arce sunt potiti. Eodemque fere die Triultius auri libris item ducenties quinquagies Curtio numeratis, concessaque Ludovici & Galeatii supellectili sane regia, quæ in ea erat, Mediolani arcem, de qua diximus, tenuit. Ita is, cui fides ab se se data rata atque sancta nunquam fuisse, neminem habuit suorum, qui ei fidem, quam dederat, cum id facere nullo negotio posset, tam duro ejus tempore pauculos modo dies præstaret. Cremona in reipublicæ potestatem redacta, magistratus, qui jus dicerent Dominicus Trivisanus, Nicolaus Fuscarensis eo missi: oratoresque adlecti duo ad priores alios, qui adhuc in urbe præstolabantur, Nicolaus Michaelis, Benedictus Justinianus: Mediolanumque una omnes ire jussi ibi regem excepturi, eique reipublicæ nomine novo de regno gratulaturi. quos quidem postea rex, Mediolanum cum venisset, nam tum quidem esse in Alpibus dicebatur, perhonifice tractavit, apud seque habuit. Eorum tres, quorum in numero erat Antonius Lauredanus, qui ex Gallia cum rege venerat, suo functi munere domum redierunt. Petierat ab legatis reipublicæ qui in Gallia transalpina fœdus cum rege percusserant, Ludovicus Lucemburgius regis propinquus, ut cum ad urbem rediissent, sibi a Patribus civitatem & jus comitiorum impetrarent. itaque ejus postulatis intellectis, civitas utrumque munus Ludovico est elargita. Eadem liberalitas in Hannibalem Angusciolum, qui arcem Sonzinatum reipublicæ legatis tradiderat, & Marfilium ejus fratrem collata: annuusque insuper proventus utriusque dono additus. Victor quoque Martinengius Brixianus, unus ex principibus civitatis.

Joan-